



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt regularia monasteria, nec vendi, nec commutari possint nisi cum alio
monasterio.xxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Qui verò hoc fieri permiserint, canonum sententiis subiecebunt.

De illis qui dotem Ecclesie sibi vindicare presumpserint. Cap. XX.

Ex cõcil. Toletan. cap. 19. **M**ulti contra canonum constituta sic Ecclesias que edificauerint postulant consecrari, vt dotem que Ecclesie contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum displicet, & in futuro prohibetur, sed omnia secundum consuetudinem antiquam, ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

De Ecclesiis destructis quomodo restaurari debeant. Cap. XXI.

Ex decr. Ygini pape. cap. 5. **V**t Ecclesie destructe, vbi aut plures sunt quàm necessitas, aut maioris magnitudinis, quàm vt ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopi prouidentia modus inueniatur, qualiter consistere possint.

Quòd in vna terminatione plures baptismales Ecclesie esse non possint. Cap. XXII.

Ex cõcil. apud Aquasgras. cap. 5. **P**lures baptismales Ecclesie in vna terminatione esse non possunt, sed vna tantummodo cum subditis capellis. Et si contentio fuerit de terminatione duarum matricum plebes verarumque discernant, & si nõ conueniunt, lis de iudicio discernatur.

Vt regularia monasteria nec vendi, nec commutari possint. Cap. XXIII.

Ex decr. Siluerii pape. cap. 1. **N**emini regum aut cuiquam hominum in proprium liceat monasterium tradere, nisi ad aliud monasterium vel commutare, nisi cum alio monasterio, vel quocunque commento vendere. Hoc etiam diuina & apostolica atque canonica sub anathematis pona sanxit autoritas. Quod factum fuerit, non valebit, sed ipsum monasterium in primum reformetur statum.

Vt non liceat alicui vnius Ecclesie terram nisi cambiati vertere ad aliam. Cap. XXIII.

Ex cõcil. Lugdun. cap. 5. **N**on liceat episcopo, nec abbati, terram Ecclesie vertere ad aliam, quamuis ambæ sint in eius potestate. Tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu amborum faciant.